

39

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

RAUCITATE,

QVAM
DIVINA FAVENTE GRATIA

ET
GRATIOSISSIMA FACULTATE MEDICA
BENIGNE CONCEDENTE

SUB PRÆSIDIO

DN. D. IOH. GUILIELM. PAULI,

ANATOM. ET CHIRUG. PROF. PUBL.

PATRONI ET PRÆCEPTORIS ÆTA-
TEM DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

DOCTORALES IN ARTE MEDICA HONO-
RES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQVENDI
AD D. XXIX. NOVEMB. MDCCIX.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

ELIAS Schön / Fraustad. Polon.
MED. BACCAL.

LIPSIÆ,

LITERIS BRANDENBURGERIANIS.

Handwritten signature

Handwritten musical notation

Coll. diss. A
207, 42

Coll. Diss. 207. (42)

MAGNIFICO ACADEMIÆ NUNC JUBI-
LANTIS RECTORI

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO

DOMINO

AUG. QUIRINO
RIVINO,

Philos. ac Med. Doctori undiquaque Fa-
migeratissimo, Pathol. & Botanic. P. P. longe Celeber-
rimo, Facultat. Medic. Seniori Gravissimo, Aca-
demiæ Decem-Viro, Major. Collegii P. P.

Collegiato Meritissimo,

PATRONO, PRÆCEPTORI, AC PROMOTORI,
OMNI ANIMI SUBMISSIONE ÆTERNUM DEVE-
NERANDO,


Dissertationem hanc Inauguralem
ut gratissimæ pariter ac devinctissimæ

MENTIS SIGNUM

Sacram esse cupis

ELIAS Schön / Fraustad. Polon.
Med. Baccal.





B. C. D.

P R Æ F A M E N.



*N*emo facile erit, qui loquendi facultatem non pro singulari ac tali nobis a Sapientissimo & Potentissimo Creatore concesso reputet beneficio, quo aliis nostras cogitationes, & in proprium, & aliorum commodum, modo non etiam detrimentum, libere valeamus impertire. In miserissimo tamen presentis vitæ statu oppido eodem privamur, quoties articulata verba exuntiandi potentiam vel plane non, vel difficulter satis, vel depravate magis, in actum deducere licet. Id quod uti diversis contingit modis, ita cum vitæ etiam periculo, aut majori, aut minori procedit, quo magis minusve spiritus una per organa spiritalia intercipitur. Aliis autem eas loquendi difficultates relinquens, quæ vitam ipsam in discrimen adducunt, ex aliis potius vitiis, cum nullo periculo conjunctis, illud unice, quod Raucitatis nomine effertur, vice Thematicis Inauguralis tanto magis placet declarare, quanto paucioribus ab eodem semper vivere licet immunibus, præsertim tempore hyberno, quod ingressi sumus. Sed quo prosperos ubique experiar successus, divinam ante omnia opem a Numine Supremo supplex mihi exoro.

A 2

I. Equi.

I.

E Quidem vocis affectus, quem pertractare aggredior, Raucedo plerumque salutatur, Raucitatis nihilominus vocem malui adhibere, quod hæc a *Plinio* & *Celso* usurpata multis videatur latinior. Raucitas vero, Raucitates & Raucedo, non minus ac Ravis & ravus, a rauco descendentes, nil nisi vocem raucam, i. e. obtusam, obscuram & impeditam denotant. *Celso Aureliano*, cujus de Morbis acutis & chronicis libros Clariss. *Johannes Conradus Ammannus* recentissime Amstelædami denuo imprimi curavit, vocis quoque audit amputatio; quemadmodum tunc, quando a Catarrho specialiter emergere dicitur, a Græcis βράγχη salutatur, juxta decantatum versiculum:

Dum fluit ad pectus, dicitur Rheuma catarrhus;

Ad fauces branchos; ad nares dico coryzam.

Ipsa namque Raucitas, ut ad realem ejus definitionem properem, laryngis potissimum habetur asperitas, vocem raucam & asperam reddens atque a lymphæ modo defectu, modo tenuitate & acrimonia, modo crassitie ac visciditate, proveniens.

II.

Generis loco asperitatem haud immerito innuo, quoniam am raucedo, ut morbus, præeunte Magnifico *Wedelio Patholog. Medic. Dogmatic. p. 73.* inter morbos superficiei invenit locum, naturali organi vocis lævitate in asperitatem præternaturaliter mutata. Raucitatis tamen formalitatem sic in aspera organi vocis superficiei constituens, neutiquam hanc talem voco expressam, quæ tactus etiã organo spiculis suis rigidis similibusve eminentiis inæqualibus resistat, sed quæ inæqualitate sua molestam solummodo in faucibus sensationem pariat. De tali quippe asperitate vox ipsa tunc rauca & aspera, tanquam effectus, de sua testatur causa, dum aer e pulmonibus expirationis tempore expulsus, non lævi amplius & æquali, verum inæquali & aspero alliditur organo. Consentientem habeo *Codronchium de Vit. Voc. Lib. I. cap. II.* ab instrumenti inæqualitate inæqualem vocem effici

effici

effici afferentem. Scilicet quam diu capitis tracheæ concavitas lævorem & glabritiem præ se fert, tam diu vox a nobis clarior emittitur & auribus gratior, lævitate autem & æqualitate illius deficiente, sonus protinus efflatur obtusior, asperior auribusque minus acceptus.

III.

Caput tale Tracheæ indictum Larynx Anatomicis audit, ac universale raucedinis necessario ideo existit subiectum, quod tantum non ab omnibus pro primaria officina, qua spiritus ex continuato canale spiritali exspirando sonorus redditur, venditetur. Quod quomodo fiat, & ubinam raucitas particularem figat sedem, mox explanatum dabo, ubi omnem laryngis structuram planius & plenius enodavero. Integra nempe laryngis compages ex cartilaginibus, musculis, membranis, glandulis atque cavitatibus resultat diversis. Cartilagine numerantur quinque atque græcis vocibus thyroides, cricoides, duæ arytænoides, & epiglottis denominantur. Novem autem musculorum paria a principio atque termino imposita nomina gerunt. Qui enim cartilagine thyroideam movent, sterno-thyroides, hyo-thyroides & crico-thyroides vocantur. A quibus vero cartilagine arytænoidum motio dependet, thyro-arytænoides, cryco-arytænoides postici, crico-arytænoides laterales atque arytænoides audiunt. Prout musculi epiglottidis motui destinati, hyo-epiglottici atque arytæno-epiglottici dicuntur. Neque membrana una, una glandula, unaque cavitas, sed plures, cartilagineum & musculorum laryngis evolutioni subjiciuntur.

IV.

Laryngis cartilagini primæ nomen thyroidis sive scutalis competit, quod vel figura scutum quadratum, foris gibbum, intus concavum, quodammodo referat, vel anteriore laryngis partem occupando ad instar scuti cartilagine posteriores

riores arytænoides tegat & defendat. Circa extremitates in quatuor illa abit processus, quorum duo superiores longiores cum osse hyoide, duo autem inferiores breviores cum cricoide cohærent cartilagine. Altera namque cartilago cricoidis seu annularis titulum a figura annuli mutuatur, quo turcæ in ejaculandis sagittis pollicem solent munire, in quantum posterior ejus portio latior & crassior habetur anteriori, quæ thyroïdi substernitur. Ora vero ipsius superna e laterali postica parte oblongum utrinque capitulum, eleganter candidum & lævigatum, emittere annotantur Cl. *Morgagni Adversarior. Anatom. p. 17.* aliisque. Quemadmodum vero utraque cartilago descripta in senibus vel ad senectutem accedentibus laudato *Morgagni* ossea aut ossescens frequentissime visa fuit, ita curiosum est, quod cellulas substantia medullari repletas in thyroïde ad latera potissimum, in cricoide vero ad partem posteriorem Idem observaverit.

V.

Tertia & quarta cartilago a similitudine pariter, qua juncta gutturnii labrum repræsentant, arytænoides sive gutturni-formes denominantur. Superius videlicet magis mucronatæ deprehenduntur, inferius autem latiori basi dotataæ, cujus parti posteriori & externæ lævis insculptus advertitur sinus, cricoidis alterum capitulorum modo descriptorum in conjunctione recipiens. Cricoidi enim cartilagini cum arytænoidibus veram intercedere articulationem, ad vocem perquam necessariam, *Galenus* quondam, *Vesalius*, *Columbus*, *Fabricius ab Aquapendente* aliique satis habuerunt perspectum. Cur vero Anatomici a *Bauhini* temporibus, præter *Antonium Molinettum* & *Johannem Mauritium Hoffmannum*, eandem prorsus neglexerint, non sine ratione *Morgagni* miratur. Ultima denique cartilago, a situ, quo hiatui superincumbit, qui ex
ary-

arytænoidum conjunctione relinquatur atque glottis dicitur, Epiglottidis nomen habet, figura magis quadrangulari constans, quam triangulari, in duo tamen triangula inæqualia ita reducenda, ut breviori veluti basicum cartilagine scuti formi connectatur, altero vero longiori libera magis sit & pro rei exigentia ad rimulam magis minusque claudendam & aperiendam apta. Hanc non totam solidam, sed multis foraminulis pertusam, *Fabricius ab Aquapendente* & *Casseri* in figuris exhibuere, quibus foraminulis foveas quoque adjungit *Morgagni* ib. p. 2.

VI.

Sequuntur laryngis musculi, quorum sterno-thyroides a superiore interioreque sterni margine pronati lateribus bases thyroidis infiguntur: ubi ex opposito hyothyroides pariter ab inferiori ossis hyodis parte prodientes terminantur. Musculis sterno-thyroides, ceu longioribus, aliquando tendinosas esse inscriptiones, non autem semper, prout in musculis abdominis rectis atque sterno-hyoides, notat *Morgagni* p. 3. Num vero ab utroque etiam pari, & potissimum priore, in larynge speciatim humana ad altiorem scuti eminentiam quandam a *Fabricio de Larynge Part. I. C. 4. & 8.* obscurius notatam, multæ dispergantur fibræ, sicuti laudato *Morgagni* videtur, uberius indagare meretur. Tertium par cricothyroides a cricoide cartilagine emergens obliq; versus posteriorem ascendit, quo laterali thyroidis parti implantetur.

VII.

Quartum par thyro-arytænoides ab inferiori thyroidis margine circa medium exurgens antrorsum ad arytænoidum latera tendit. Par quintum crico-arytænoides posticum posterius a cartilagine cricoide, sextumque crico-arytænoides laterale ab ejusdem cartilaginis lateribus enatum inferne, & illud quidem posterius, hoc autem

tem

tem lateraliter itidem in arytaenoidem, definit. Par septimum parvum, quod arytaenoides appellitant, quo evidentius utriusque cartilagini arytaenoidi adnascitur, eo acrius de ejus origine ac fibrarum tendentia itemque numero inter Anatomicos disceptatur. *Verheyen Anat. Tr. 3. Cap. 5.* exortus intuitu crico-arytaenoides superius illud mavult vocare, quod superius e latere cricoidis videatur ipsi exurgere, atque oblique in arytaenoidem cartilaginem lateris oppositi ferri. *Morgagni autem p. 32.* insignem horum musculorum in brutis & hominibus differentiam declarans, in nobis itidem insignem musculus talis, unius potius, animadvertit diversitatem, prout nunc in tergo aliqua lineola tendinosa, tantummodo superficialis, nunc nulla, occurreret, nunc fibrae utriusque cartilagini interjectae evidenter se decussarent, nunc minus.

VIII.

Etsi demum Anatomicorum plerique, cum quibus etiam *Morgagni* facit, omnes epiglottidi humanae musculos denegant, autopsya tamen confusus cum *Jacobo Sylvio Isagog. Anatom. Operib. insert. p. 112.* musculos hyo- & arytaeno-epiglotticos, loco paris octavi & noni expendere haud vereor. Par videlicet hyo-epiglotticum ab ossis hyoidis basi ad posticam epiglottidis radicem, arytaeno-epiglotticum vero ab arytaenoidum cartilaginum apicibus oblique & anterius ad epiglottidis latera videtur excurrere. A quorum musculorum aliis thyroidem, arytaenoides ab aliis, ab aliis denique epiglottidem moveri quemadmodum superius indigitatum fuit, ita paucis motionum talium cartilaginum distinctius innuenda venit. Dum thyroides enim a musculus hyo-thyroidibus elevatur, a sterno-thyroidibus ac crico-thyroidibus e contra deprimatur inter deglutendum non minus ac loquendum. Glottis autem notabiliter constringitur & coarctatur, quo-

quoties muscoli thyro-arytænoides & arytænoides contrahuntur; cui rimulæ e diverso dilatandæ crico-arytænoides postici ac laterales muscui inserviunt. Musculi denique hyo epiglottæ epiglottidem elevando, ac arytæno-epiglottæ tandem deprimendo, spatium epiglottidi & arytænoidibus interpositum augere magis vel minuere propter vocem moderandam videntur.

IX.

Jam quot laryngis cartilagine & muscoli hæcenus fuerunt descripti, tot membranæ etiam habentur, cum nulla cartilago, nullusque musculus in corpore animali inveniatur, qui non sua cingatur membrana. In primis tamen ea est attendenda, quæ internam glottidis peripheriam investit, & forsitan sensibilitate cedit, quæ reliquam concavitatem fistulæ spiritalis munit, quod cum raucedine haud semper tussis conjungatur. Neque cartilaginum ligamenta, ceu membranas crassiores, hic negligere oportet, intervenientibus enim talibus cartilago thyroïdes tam superius cum osse hyoïde, quam inferius cum cartilagine cricoïde connectitur. Et duplicia ligamenta, quibus arytænoides & thyroïdes inter se conjungantur, *Morgagni* p. 14. exponit, postquam p. 2. § pag. 16. tria dilucidavit vincula, quibus epiglottis firmatur, licet medium crassius, *Casserio*, *Bauhino* & *Riolano* cognitum in homine frustra quæri innuat, duo tamen lateralia etiam in hoc reperiri, quæ a radice linguæ & cornubus ossis hyoïdis perveniunt atque proximis convexæ epiglottidis lateribus adhæreant. Neque arytænoidum cum cricoïde articulatio suis destituitur ligamentis, a *Morgagni* pariter descriptis.

B

XI.

XI.

Glottis autem quamvis sola ea cavitas habeatur, per quam, ceu rimam, aer nunc inspirandum inter in tracheam & pulmones irruit, nunc expirandum inter rursus expellitur, haud tamen aliæ quoque cavitates in laryngis conformatione videntur prætereundæ. Intervallum aliquod relinqui inter epiglottidem ac glottidem, modo majus, modo minus, ex fine §. 10. jamjam innotuit. Arytænoidibus vero exterius duæ notabiles adstare deprehenduntur cavitates, quas *Galenus de Usu partium lib. 7. cap. 3.* ventriculos & *Curtius in Mundin. Anat. Explic.* orificiorum nomine dudum insignivere. Ab his num valvulæ laryngis novæ discrepent, ab aliis nunquam visæ, quas *Schelhammerus in Progr. Anatom.* quo *Philatros Jenæ* postremum allecutus est, p. 9. ter se *Jenæ* demonstrasse testatur, haud patet. Ex Recentioribus tamen *Morgagni p. 14.* uberius tales laryngis ventriculos exponit & ostendit, partim, quomodo duæ rimæ inter duo arytænoidum & thyroidis ligamenta relictae ingressum patefaciant, partim, quomodo ejusmodi laryngis ventriculi musculis thyro-arytænoideis simul constringantur & expandantur, adeo ut voci moderandæ non minus apti reputentur.

XII.

Glandulæ demum ipsam laryngis structuram ingrediuntur variæ: epiglottidis videlicet, glottidis, ventriculorum, arytænoideæ atque mucilaginosæ. In epiglottidis dorso inferius unam carunculam seu glandulam, pinguedi-

guedine tectam, a parte vero concava plures glandulas minores *Verheyen Anat. Tr. 3. Cap. 8.* notat & delineat. Recentissime autem *Morgagni p. 1.* unam solummodo commemorat & figuris adumbrat glandulam, quæ non modo gibbæ epiglottidis parti incumbat, sed per hujus etiam foveas & foraminula ad partem concavam pergat, ibique glandulas minores mentiatur canaliculosque recondat a *Stenone* pariter *de muscul. & glandul. p. 34.* descriptos. Hinc glottidis glandulas vocare liceat eas, quibus membrana ejus stipatur, quasque *Wepferus de Cicut. Aquat. p. 260.* aliique indigitarunt, qualesque etiam cum multis foraminulis *Morgagni p. 14.* in ventriculorum laryngis annotavit membrana. Cujus non minus inventioni glandulæ arytænoideæ atque mucilaginosæ debentur.

XIII.

Glandulæ duæ arytænoideæ livido - albescentes a loco vocantur, quem ad utramque cartilaginem arytænoidem forma literæ Romanæ L. obtinent, crure altero longiori anteriori superiori arytænoïdum processui seu parti mucronatæ incumbentes, altero autem ligamentis duobus, arytænoïdes cum thyroide quæ colligant, adhærentes. Circa arytænoïdum vero cum cricoide articulationem, totumque insuper latus internum parvulam substantiæ cujusdam laciniam natura mollem *Morgagni* invenit, inventamque describit. Quam ex genere glandularum mucilaginosarum esse plenius cognovit, cum eandem unam cum glandula mucilaginosa cujusdam tendinis examinatam, ejusdem generis & structuræ cum mucilaginosi deprehenderet, adeoque aptam, quæ pro articulatione ista lubricanda mucilaginosum affunderet succum, prout in ossium articulationibus fieri *Haverus* advertit.

B 2

XIV:

XIV.

Ex tot partibus laryngem contextentibus sola glottis cum cartilaginibus arytænoideis harumque musculis constringentibus in formatione vocis primario merentur considerari. Aer namque exspirandum inter per glottidem patulam & a musculis crico-arytænoideis lateralibus & posterioribus dilatatam haud sonorus ejicitur. Ubi vero aer per eandem rimulam a musculis arytænoideis atque thyro-arytænoideis coarctatam ita egredi cogitur, ut veluti compressus ad elasticarum cartilaginum arytænoideum apices allidatur allisusque in motum tremulum cieatur, oppido sonorus evadit. Id quod *Fabricius ab Aquapendente de Laryng. Part. 2. cap. 3. & Part. 3. cap. 2.* exemplo vesicæ inflatæ, alii vero fistulæ arundineæ, solent illustrare. Vesica quandoquidem inflata, utcunque etiam prematur, nunquam tamen sonum facit, nisi aer compressus rite prorumpat atque elidatur. Per fistulam vero arundineam, qua tibiæ inflantur, sola pariter aeris elisione, qua hic e spatio latiore in angustius compressus in tremulum agitur motum, editur sonus.

§. XV.

Nec opus est, vel epiglottidem, vel peculiarem characterem vitalem, quo vox fiat, in subsidium una vocare. Sine omni enim epiglottide, quam *Joh. Baptist. Verduc.* in Tractatu gallico *de Usu partium* (qui fere nil nisi Magnifici *BOHNII Circulus Anatomico-Physiologicus* maximam partem in gallicum idioma translatus nonnullisque, in primis citato de voce capite, auctus) *Tom. 2. cap. 12.* expendi simul cupit, vocem posse formari, pennata edocent, epiglottide destituta. Quamvis horum vocem non tam in glottide ipsa fieri, quam in duabus rimulis inferioribus, quibus trachea pennatorum in pulmones terminatur, experi-

peri-

perimento manifesto queat ostendi. Sumatur trachea v. g. anseris recens, vel etiam exsiccata, prius tamen humectata, & infletur per duas dictas rimulas nunc integra, nunc in duas partes resecta, & utrobique manifestum edet gingritum, cum altera portio cum epiglottide per inflationem sonum emittere renuat. Character vero ille vitalis, quem *Joh. Conradus Ammannus de Loquela p. 26.* ex corde & cerebro laryngis musculis inspirari asserit, ut tremulus aeri motus imprimatur, vix ulla intelligitur ratione.

XVI.

Si sola itaque glottis cum arytænoideis cartilaginibus primaria vocis habetur sedes, prout hæcenus ostendi, non potest non eadem raucedinis pariter principale existere subiectum. Vox siquidem clara emitti videtur, quamdiu glottidis concavitas a lymphâ glandularum cum epiglottidis, tum arytænoidearum aliquantum humectatur & veluti lævigatur. Quamprimùm vero talem glottidis lævitatem cum asperitate mutari contingit, raucedinem enasci ac vocem raucam & asperam effici, superius jamjam §. 2. indigitavi. Cuius asperitatis causas mox aperiam, ubi iis, qui uvulam pro raucedinis subiecto simul venditare contendunt, quod asperius loqui advertuntur, quibus gurgulio erosa est vel resecta, duo reposuero. Primum videlicet semper hoc fieri negatur, quia *Casp. Bauhinus Theatr. lib. 3. cap. 83. & Hildanus Cent. I. c. 21.* cognoverint aliquos, qui nullum vocis detrimentum ex uvula abstracta percepere. Deinde quoties cum uvula erosa vox combinatur rauca, hæc non tam ab ipsius uvulæ vitio, quam a glottide simul corrosa, videtur provenire, cum idem humor acris, qui in scorbuto v. g. & lue venerea gurgulionem aliasque glandulas vicinas exedit, glottidem quoque lædere valeat, vim inferendo nunc soli ejus membranæ, nunc etiam ipsis cartilaginibus.

XVII.

In causæ videlicet raucitatis proximæ censum venit
 B 3 lym.

lympha, nunc deficiens, nunc tenuior & acrior, nunc crassior & viscidior, omnis talis apta glottidi asperitatem inducendi. Quæ autem quoniam lymphæ abundantiam vix insequitur, nisi acrimonia conjungatur, nec lymphæ ubertatem inter proximas raucedinis causas visum fuit referre. Lympha namque glottidis deficiente, hæc eodem modo ariditatem & asperitatem contrahit, ac cutis eorum, in quibus a lymphæ glandularum cutanearum illa non irrigatur, Qualem vocis a siccitate asperitatem, gruum voci similem *Ballonius Consil. 2. lib. 2.* reputat. Fibrillas e diverso membranæ glottidis erodendo asperitatem hinc non minus ac voci lympha acrior primumque tenuior conciliat, sive talis salsa fuerit, sive acido-salsa. Lympha denique viscidior, etsi non omnis acrimoniæ expers esse videtur, tenacius nihilominus rimulæ agglutinata, vel sic inæqualem hanc satis & ad vomem claram ineptam constituit. De causis remotis interim fatendum, quod tam quæ res non-naturales, quam præternaturales plerumque audiunt, ad raucitatis maxime genesis aut lympham absumendo, aut acriorem reddendo, deprehendantur conferre.

XIX.

Inter res siquidem non naturales aer, quem continuo inspiramus, modo frigore & humiditate, modo calore excessivo atque siccitate, modo aliis, heterogeneitatibus hoc præstat. Priori nempe nocet ratione, dum glandularum poros constringendo non nisi lympham tenuiorem falsisque particulis turgidiorem transmittit, relictis moleculis pinguioribus, & gelatinosis, a quibus salæ in statu naturali magis inviscantur & temperantur. Num vero talis aer præterea spiculis quoque salinis corrodentibus magis repleatur, adeoque & erodendo lædat, ceu ambiguum in medio relinquat. Aer autem calidior & siccior, uti lympham omnis transpirationis, ita & laryngis, copiosius & citius absumens, quam a nova secretionem possit resarciri, exsiccatum potius &

ari.

aridum idem vocis organum post se relinquit. Quæ pariter ariditas eo magis tunc capit incrementum, quo plus etiam aeris pulverulenti, glandularum poros obstruentis, una solet inspirari. Præter corpuscula tamen pulverulenta, æstate potissimum aeri admixta, alio tempore effluvia acriora, v. g. sulphuris accensi, fodinarum metallicarum &c. heterogeneitatum more aerem imprægnant, atque inspirita laryngem arrodendo ad raucedinem disponunt. A lupis autem ejusmodi exhalare miasmata, ut illorum conspectum raucitas insequatur, meram redolet fabulam.

XIX.

Hinc cibus & potus, non tam quantitate, quam qualitate, acore videlicet, falsedine atque frigiditate peccans, ravim solet provocare. Inter omnes enim constat, ab esculentis & potulentis multo sale, manifestove acore pollutibus, v. g. fructibus horariis immaturis acerbis austeroque vino, tanto certius raucedinem excitari, quanto sensibilius ab iisdem ingestis in faucibus relinquitur vestigium. Quomodo *Theodorus Craanen* vero de *Homine* cap 74. inferre exinde queat, aliquid potus per rimam laryngis nonnihil dehiscentem transire, haud video, cum sensatio molesta non statim eo, quo ista assumuntur momento, sed aliquamdiu post percipiatur, moleculis austeris lympham faucium inficientibus tunicamque epiglottidis stimulantibus. Qualis pariter a nucibus juglandibus exficcatibus, acrimoniam sub oleo rancido occultantibus, ad raucitatem usque non raro vellicatur. Neque potus frigidior & glaciatus, etiamsi tracheam ipsam non ingrediatur, effectum similem aliter, quam epiglottidis membranam immediate, mediate vero & per consensum glottidis tunicam, ceu continuam, constringendo videtur præstare, & tanta interdum violentia, ut *Stalpartus van der Wiel* Cent. 1. Obs. 27. incurabilem etiam a potu frigido annotaverit

rau-

raucitatem; prout miram a frigore raucedinem *Borellus Cent. 14 Obs. 27.* commemorat.

XX.

Somnus porro, ut somnus, vix voci raucae præbebit occasionem, & non, nisi iis, qui tum temporis ore patente aerem frigidiorē hauriunt haustique eas molestias perferunt, quarum paulo ante feci mentionem. Inter varia vero exercitationum genera clamor nimius nimiaq; declamationes in raucedinem propterea itidem frequentissime terminantur, quod ab aere copiosius & celerius inspirato atque exspirato, tum glottidis lymphæ diripiatur, tum tunica ejusdem per violentiorem cartilagineum arytenoidearum collisionem atteratur. Sed præ aliis excretionibus acidorum & austerorum vomitus, nimiusque coitus asperitatem vocis videntur inferre, dum illo larynx sensibilius cum faucibus læditur, hoc vero tantum molecularum laudabilium & temperantium perditur, ut reliquum serum in acrimoniam facessat, vel saltem sufficientis lymphæ in glandulis laryngis secretio inhibeatur. Ex animi demum affectibus quomodo nunc excessivum gaudium, cum vehementiori & diuturniori cachinno conjunctum, nunc moeror intensior, multarum lachrymarum profusione stipatus, raucitatem post se trahere valeat, ex dictis neminem facile latebit.

§. XXI.

Et tantum de rebus non naturalibus, sequuntur præternaturales, sive morbi, raucedine comitati, paucis nunc inunendi: ceu quales gravedo, tussis, angina, laryngis & nervi recurrentis vulnus, morbilli, phthisis, vomica pulmonum, scorbutus & lues venerea occurrunt. Inter hos nempe quemadmodum coryza & tussis, veluti a communi causa, i. e. acrimonia, dependent, ita ea anginae species, in qua interni laryngis muscoli inflammantur, quæque Cynanche a multis vocatur, intuitu glottidis aridioris,

nis, vox sine raucedine excruciat. Larynge autem graviter vulnerata vocem in principio penitus perdi, mox plurimum raucedine, tandem claram rursus fieri exemplo notabili *Schneiderus de Catarrh. Lib. 5. cap. 3. p. 206.* edocet, quod conveniens glottidis æqualitas sub initio consolidationis deficiat, usque hæc perfecte fuerit absoluta. Hinc, nervum itidem recurrentem si alterutrum vulnerari contingat, vocem raucam fieri testatur *Vigierius Chirurg. lib. 2. cap. 17.* cum resectis nervis ab illa parte non solummodo musculorum contractio, sed & feri per glandulam arytænoideam secretio suffiaminetur. De raucedine autem morbillos epidemios comitante ex sero acriori legatur *Romelius in M. A. N. C. Dec. 3. A. 4. O. 40.* Vixque alia subest causa, quam insignis acrimonia, glottidis non modo tunicam, sed & ipsas cartilagineas arytænoideas corrodens, cur phthifici, empyematici, vomica pulmonum laborantes, scorbutici ac lue venerea correpti vocem experiantur asperam, consentiente *Th. Bartholino, dum Actor. Haffniens. Vol. 2. p. 295.* de inveterata ex pulmonum vomica agit raucedine.

§. XXII.

Respectu ejusmodi morborum æque ac ratione temporis & durationis alia raucedo solitaria & per se, alia cum morbis aliis conjuncta, recens alia, alia inveterata perhibetur. Raucitas solitaria est, quæ consortio aliorum caret morborum; quorum præsentia alteram ejus constituit speciem, i. e. raucitatem cum morbis aliis combinatam. Raucedo recens audit, quæ non ita diu duravit; ast ubi diutius & per plures annos molesta fuit, inveterata salutatur. Subjecti iuventutem, alia infantes, alia adultos, alia senes afficit. Nec absolum erit, causarum ratione diversam expendere raucitatem, dum alia ab organi siccitate, alia ab acrimonia, alia a visciditate lymphæ nanciscitur originem, alia porro causæ externæ, alia causæ internæ suos debet natales. In proclivi interim est, omnem raucitatem, omnesque ejus causas

C

fas

fas & differentias partim ex voce rauca, partim & potissimum ex ægri relatione cognoscere, modo hic fideliter commemoret, qualia faucium molestia adsit, num ariditas, an acredo, an viscidum laryngem occupet, quæ processerint, num ab inspiratis, an ab ingestis, an a morbo alio fuerit enata. Adeo, ut vix peculiaribus signis diagnosticis opus esse videatur, nisi morbus primarius fortassis lateat, ipsumque ægrum etiam fugiat.

§. XXIII.

Ad prognosin proin pergo, ut hac exposita ad raucedinis demum medelam inoffenso mihi liceat progredi pede. Raucitas equidem levioribus plerumque annumeratur malis, non omnem tamen susque deque esse habendam, diversitas causarum hæctenus exposita sufficienter ostendit. Si que ravis promptior curatur, quæ ab aere frigido inspirato ac ingestis quibusdam esculentis & potulentis acrioribus promanavit; difficiliorem medelam admittit, quam aer calidior & inspirata heterogenea, maxime venenata, pepererunt; cum res ardua sit, humorem deficientem restaurare, atque læsionibus ab inspiratione ejusmodi effluviis inductis subvenire. Quo raucitas non minus spectat quæ a causa interna, v. g. sanguinis acrimonia, fuit genita. Raucedo hinc recens suo modo remediorum usui facilius cedit, quam inveterata; nec omnem tamen inveteratam & diuturnam semper medicaminum vim eludere, *Lentilius Miscellan. Medicor. Part. I. p. 154.* præter alios comprobat. Rauca itidem vox in junioribus citius expugnatur, quam in senibus, ceu in quibus raucedines & gravedines non (semper) coqui, *Hippocrates Sect. 2. Aphor. 40.* annotavit. Quæque cum gravedine aut tussi incipit, non magis metuenda videtur, ac illa, quæ ex gravi laryngis vulnere resultat finitaque consolidatione cessat. At qui ex nervorum recurrentium alterutro relecto irraucescit, vocem claram recuperabit nunquam. Nec vox aspera morbillis
epi-

epidemiis superveniens aliud quam lethale suppeditare si-
ghum reputatur. Multo minus ob multas partes corruptas salus
poterit iis promitti, qui ex empyemate, pulmonumque ulcere
ac vomica raucantur, cujus quippe rei veritatem in juvene et-
iam phthisico *Riedlinus Linear. Medicar. Ann. 4. p. 269.* deprehendit.

XXIV.

Raucitatis jam solitariae & primariae medela quo rite in-
stituat, tum causam in larynge asperitatis, quantum possibile
removere, tum sensationem molestantem demulcere, tum læsioni
quoque, si quæ facta, subvenire convenit. Si serum itaque defi-
ciat, hoc refarciendum, ariditasque humefacienda ejusmodi
remediis, quæ humectantia inde salutantur: qualia habentur
partim magis aquosa, partim manifestis particulis pinguibus,
gelatinosis aut mucilaginosi simul imprægnata. Medicamentis
aquosioribus non solum aquam simplicem, sive fontanam sive
fluvialem, atq; aquas destillatas varias liceat annumerare, sed &
infusum Thee calidum, veluti cujus virtus potior annon aquæ
debeatur calidæ, cui folia Thee infusa sunt, *Pechlinus de Potu Thee*
non sine ratione dubitavit. De pinguibus autem moleculis *Po-
t9 Coffée*, quemadmodum de pinguibus æque ac gelatinosis lac
v. g. vaccinum, participat, utrumque in raucedine calidum as-
sumendum. Corpusculis gelatinosis juscula carniū imprimis
pollent, mucilaginosi autem, quæ decocta parantur ex con-
cretis plus minus dulcibus & mucilaginosi, v. g. Rad. Glycyrr-
rhiz. Scorzoner. Alth. Consolid. maj. &c. Præter qualia interne
assumenda non negligendæ videntur oris collutiones decoctis
calidis, quæ herbæ resolventes v. g. Salv. Origan. Hyssop. Basilic.
Scabios. &c. ingrediuntur. Etsi enim hæc, dum ori colluendo in-
serviunt, immediate ad glottidem haud perveniant eamque sic-
cam humectent, proritando nihilofecius uberiores lymphæ
in glandulis oris secretionem in causa sunt, ut talis ad epiglotti-
dem delata successive etiam glottidem queat humefacere.

XXV.

Verum præsentem acrimonia salsa vel acido-salsa, hæc

téperanda venit sicq; ipsa tenuitas major simul increffanda. Ubi ergo constat, acida fuisse assumta aut acidum salté in primis vis subesse, ad ea medicamenta expedit confugere, quæ ant acida in genere audiunt, in specie autem vel terrea sunt, vel salia alcalina. Terrea habentur lapill. cancror. test. ovar. CC. & Ebur ust. Mater perl. Corall. &c. cum ex alcalibus fixis sal v.g. absinth. card. bened. &c. ex volatilibus urinosis Spiritus sal. armon. profert. In raucedine quippe ant - acida tunc conferre, videre est in *M. A. N. C. Dec. 2. A. 9. Obs. 43.* dum pertinax raucedo oculis cancrorum memoratur curata. Acrimoniam vero salisam temperant remedia sulphurea temperata, nonnulla dulcia, nec non mucilaginosæ & gelatinosæ. Inter sulphurea temperata locum inveniunt flor. sulphur. sperm. cet. & pingued. animal. dulcibus existentibus fructibus diversis, v.g. ficub. passul. jujub. amygdal. dulc. pineis, pistaceis ac seminibus, quæ frigida quatuor majora dicuntur, cum rapis. Inter mucilaginosæ sicuti gumm. arabic. tragacanth. Rad. alth. symphyt. maj. &c. eminent, ita & ex gelatinosis gelatina, cum C. C. tum eboris, occurrit officinalis. Cernere hinc datur, cur Syrup. de liquirit. de jujub. violar. &c. a quamplurimis in raucitate commendentur ac speciatim decoctum raparum saccharo cando edulcoratum a *Timao lib. 2. constit. 12.* laudetur. Ut taceam, senis raucedinem Rob. raparum & melle rosato a *Riedlino Linear. Medicar. A. 2. p. 275.* curatam, fuisse annotatam. Gargaismum qui expetit, porerit Decoctum hord. malv. cum tantillo mellis cum *Hæfero Hercul. Medic. Tom. 2. p. 430.* eligere.

XXVI.

Lympha e diverso crassior & viscidior attenuari postulat per medicamina resolyentia, quorum alia simplicia, alia præparata liceat considerare. Simplicia e regno cum primis veg etabili depromuntur, sapore acri prædita, & quidem tam Herbæ & Radices ac Ligna, quàm Semina & Resinæ vel Gummi resinæ. Ex infinito Herbarum acrium numero nominasse sufficiat Sature? Thym. Hyssop. Calaminth Basilic. Majoran. Lavendul. Origan. &c.

&c. ex Radicibus autem Rad. Ari. Pimpinell Cost. amar. & dulc. Fraxinell. Ononid. Carlin. Sarsaparill. Calam. aromat. Irid. florent. &c. Ex lignis Lignum Guajac. & Sassafr. cum hujus cortice satis constant; prout ex seminibus Sem. Eruc. Sinap. Levistic. Coriandr. Anis. Foenicul. cū Cubeb. & ex Resinis ac Gummi - resinis Benzoinū, Myrrha &c. celebrari merentur. Ex præparatis autem Spirit. sal. armoniac. anisat. succinat. lavendul. Liquor. C.C. succinat. & Tincturam Tartari allegare lubet, cum essentiæ ac syrupi variorum vegetabilium modo laudatorum plures sint, quam ut omnes hic valeant innui Syrupos inter Syrupus de Eryfimo Lobelii magni præcipue est nominis, quod vel decennali raucedini medelam attulerit. Confirmatur pariter ejus ad ravim efficacia in M. A. N. C. Dec. 1 A. 3. Obs. 153. etiam si trochisci, quos Platerus ex myrrh thur. sacchar. & mucilagin. tragacanth. fieri docet, dicto de Eryfimo syrupo a *Dehardingio* M. A. N. C. Dec. 3. A. 7. & 8. *Append. Obs. 103.* videantur præferri.

XXVII.

Attamen quoties serum non tantummodo acrimonia, sed & abundantia vel visciditate nimia peccaverit, ad cathartica Medicum confugere oportet, de quibus dispiciendum, qualia conducant & quo potissimum tempore. Cathartica suppetunt cum mitiora, v. g. Flor. acac. persicor. violar. summitat. fumar. centaur. minor. in Infuso propinanda, ut alvum subducant. Plus autem virium in purgando exerunt Aloe, Jalapp. Scammon. G. Gutt. & dule. quac. sub forma propinata. Talia namque pro scopo evacuandi sufficere videntur, ut vix pateat, cur pilulæ de succino Cratonis a nonnullis in ravis aliorumque catarhorum medela cunctis aliis anteponantur. *Bernhard. Verzascha. Obs. 77.* in raucitate, quæ alicui mercatori per aliquot annos creaverat molestam, alterantium usui elixir suum purgans hydragogum, seu Resin. Jalap. *℞* Elixir vitæ Matthiol. ʒj solutum, feliciter interposuit. Vix tamen resina laudata infelicius operabitur, ubi

in simplici spir. vin. rectificatissimo fuerit soluta. Quibus vero solutionis magis compositæ arrident, ii Essentiam Cathol. purgant. D. Michaelis hic loci officinalem sine negotio poterunt in usum vocare. Si de tempore autem sis sollicitus, quo in ravi purgantia præscribi debeant, *D. Michaelis Clinico. Part. I. lib. 3, cap. 3.* principium eligere videtur, ex *Verzasche a.* observatione citata colligere datur, tunc demum cathartica in raucedine recte propinari, ubi alterantia fuerint jam præmissa, recteque etiam continuari, si malum pertinacius cedere alterantibus recuset.

XXVIII.

Haftenus ea indigitavi remedia, quibus causæ raucedinis tolli queant, sive larynx a siccitate & humoris defectu, sive ab acrimonia, sive a visciditate denique asperitatem contraxerit. Superest ut ea pariter tradam, quæ tam sensationem molestam compescant, quam quæ læsioni & excoriationi plus minus factæ prospiciant. Et sensationis quidem molestiam a crocatis, papaveraceis, opiatis, quam maxime demulceri extra controversiam habetur. Ad crocata crocus ipse, ejus Extractum atque Essentia pertinent; quemadmodum ad papaveracea Flor. papav. rhæad. semen papav. alb. Syrupus flor. papaveris erratici Syrup. papaver. alb. & Diacodium Montani referuntur. Opiatorum denique titulum Laudan. opiat. Laudan. cydoniat. hysteric. Essent. Opii & Essent. theriacal. anodyna merentur. Crocum alis admixtum in raucitate *Codronchius de vitiis vocis lib. 2. c. 3.* commendare deprehenditur; cum Syrupus papav. errat. *Thonero Observat. lib. 2. p. 109.* videatur sufficere. Nihilominus non solos flores papaveris rhæados, sed & semen papaveris albi, hujus Syrupum, Diacodium ipsumque Opium ad ravis medelam a *Paschetto* præscribi apud *Schneiderum de Catarrhis Lib. 5. cap. 3. p. 247.* legere est.

XXIX.

Laryngi autem plus minus excoriatæ opem ferunt traumatica, cum naturalia, tum artificialia. Ex naturalibus haud sper-

spernenda veniunt: Rad. Aristoloch. rotund. Plantag. Scrophular. Herb. Agrimon. Betonic. Chærefol. Heder. arbor. & rerreftr. Millefol. Plantag. Sanicul. Virg. aur. Veronic. Flor. Hyperic. Balauft. Rosar. Thus, Sarcocoll. Terebinth. Balsam. Copayv. & Peruvian. Ex artificialibus Effent. traumatic. hyperic. Catech. Balsam. sulphur. anifat. terebinthin. &c. meminisse sufficiat. Balsamo sulphuris, quem nunc solum, nunc saccharo exceptum propinant, diuturnam raucedinem profligasse *Riverius* alias perhibetur. Quia interna vero talia ad læsam glottida immediate non pertingunt, de remedio alio merito cogitare, quod ipsam partem affectam immediate simul contingeret. Quale ab exhalationibus præberi, si appropriata accendantur accensaque per fistulas consuetas in tabaci morem hauriantur, vix in dubium vocari posse videtur. Confirmaturque experientia *Borelli Cent. 4. Obs. 19.* virum sistentis, qui per multos annos adeo raucus fuerit, ut vix ullum effari potuerit verbum, a se tamen præter interna usu Betonicæ fumi, instar Nicotianæ hausti, felicissime restitutum. Nec Idem in famulo quodam raucitatem ex frigore inaudita & *ibid. Obs. 27.* descriptam alio remedio, quam simili florum sulphuris & foliorum salviæ sustulit fumo. Ut partes prius in raucedine excoriatæ aut exulceratæ promptius detergantur, exsiccantur & consolidentur, *Sorbait Prax. Tr. I. cap. 38.* tam herbarum cephalicarum, quam vernicis, Sandarachæ & Ladanii fumum per fistulas solennes attrahendum suadet optime. Neque fortassis Nicoriana ipsa, veluti egregie traumatica & a *Riverio* in phthisi ipsa laudata, inefficax tunc habebitur.

XXX.

De cura porro Raucitatis secundariæ, seu aliis morbis supervenientis, non est cur velim esse sollicitus, cum in tali statu major morbi primarii debeat esse cura, quam ravis, hæcque etiam evanescat illo curato, aut si maneat, vix aliam medendi methodum efflagitet, quam qualem adhuc edocui. Pro colophone itaque Dissertationi huic imponendo, pauca potius
more

more consveto de diæta five rectorum non-naturalium usu
 juvabit adjecisse. Aer nempe eligatur, quantum fieri potest,
 temperatior, evitetur autem & calidior, & frigidior, ventis im-
 primis australibus & aquilonaribus exagitatus. Cibum sub-
 ministrent carnes multa gelatina refertæ, quales sunt vitulina,
 hædina, gallinarum, caponum, pullorum &c. cum ovis: ab ovis
 quippe & crudis, & sorbilibus, si cum tantillo sacchari candi sæ-
 pius deglutiantur, vocem clariorem effici, experimentum est
 decantatissimum. Potus semper ingeratur calidus aut sal-
 tem tepidus, omnis acoris expers. Seponantur autem escu-
 lenta & potulenta acriora, acida & austera, v.g. carnes sale aut
 aceto naceratæ, acetaria, fructus horæi & vina pleraque. Nec
 perpetuo conferunt vina, saccharo cando vel illo, quod Stehr-
 Zucker appellitant, edulcorata, quamvis prima facie lenire
 quodammodo fauces videantur. Multo sermone vitato mo-
 tui & somno in tantum neutiquam indulgeatur, quibus cor-
 pus diffluat sudore. Fugiatur demum Venus, vita vero hi-
 laris transigatur & jucunda.

S. D. G.



Coll. diss. A. 207, msc. 42